Provincialia aut Synodalia promulgatis, ſeu, ut verbis eorum utamur, a culpa aut pœna abſolvere quemquam præſumpſerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi: quos etiam locorum Ordinarii, poſtquam de hoc conſtiterit, excommunicatos faciant publice nunciari, donec de abſolutione ipſorum eis fuerit facta fides nullo Religioſis eiſdem ſuper hoc exemptionis vel alio privilegio ſuffragante. Quibus etiam in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictius inhibemus, ne in ſermonibus ſuis Eccleſiarum Prælatis detrahant: aut etiam retrahant laicos ab Eccleſiarum ſuarum frequentia vel acceſſu: ſeu indulgentias pronuncient indiſcretas: neve cum confectionibus teſtamentorum intererunt, a reſtitutionibus debitis, aut legatis matricibus Eccleſiis faciendis retrahant teſtatores: nec legata aut debita aut male oblata interea ſibi aut aliis ſingularibus ſui Ordinis fratribus vel Conventibus aliorum præjudicium fieri Ordinis fratribus vel Conventibus aliorum præjudicium fieri vel erogari procurent. Nec etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ, aut locorum Ordinariis reſervatis quemquam abſolvere: aut perſonas Eccleſiaſticas præſertim coram judicibus delatis a nobis, ſuam contra eos juſtitiam proſequentes vexare indebite, aut ad loca plura, & præſertim multum remota convenire præſumant: hi vero qui præmiſſa, vel aliquod de præmiſſis attentare præſumpſerit, per duos menſes ſubjaceant pœnis illis, quæ ſecundum eorum regulam vel ſtatuta pro gravibus criminibus, ſeu culpis eis conſueverunt imponi: ſuper quibus abſque manifeſta neceſſitate cum eis non valeat diſpenſari. Ceterum Prælati eorum, niſi his quæ occaſione præmiſſorum exceſſuum ad eos quoquo modo pervenerint, Eccleſiis aut perſonis Eccleſiaſticis damnificatis vel læſis ſatisfactionem plenariam exhibuerint, infra menſem, poſtquam ſuper hoc fuerint requiſiti, ſuſpenſionis ſententiam uſque ad ſatisfactionem debitam eo ipſo incurrant; non obſtantibus præmiſſis ſtatutis, aut quibuslibet privilegiis, cujuſcunque tenoris exiſtant: Sane Religionibus illis, quibus eſt ab Apoſtolica Sede conceſſum, ut familiaribus ſuis domeſticis, aut pauperibus in hoſpitalibus ſuis degentibus Sacramenta poſſint Eccleſiaſtica miniſtrare, nullum ex præmiſſis volumus quoad hoc præjudicium generari. Clement. de privil. & exceſſibus privilegia, c. 1.

16. Ejuſdem Clement. c. 1. *Archiepiſcopo per quævis loca ſuæ Provinciæ facienti tranſitum, aut ad ea forſitan declinanti, ut crucem ante ſe libere portari faciat, benedicat populo, divina Officia privatim vel publice ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in ſua præſentia ſine Pontificalibus celebrari, (quovis privilegio contrario non obſtante) ſacro approbante Concilio præſentis Conſtitutionis ſerie duximus concedendum.*

17. Eodem Concilio, Religioſi, qui aliqua, ut audientes a decimarum Eccleſiis debitarum ſolutione retrahant, in ſermonibus ſuis, vel alibi proferre præſumunt, excommunicationis ſententiæ ipſo facto ſubjiciuntur, Clement. de pœnis, cap. cupientes. Quo eodem renovatur conſtitutio Bonifacii XIII. cap. 1. de ſepult. in 6. circa Religioſos ſæcularibus quibuſcunque ſuadentes, ut ſepulturam in eorum Eccleſiis voveant, aut alias promittant, electamve non immutent; decernitque hoſce Religioſos ipſo facto incurrere Summo Pontifici reſervatam excommunicationis ſententiam.

18. Concilio eodem, Religioſi etiam exempti violantes interdictum poſitum per Apoſtolicam Sedem, aut per Ordinarium loci ſervatum per Cathedralem vel matricem Eccleſiam, ſententia excommunicationis feriuntur, quam ſtatim ipſo facto incurrunt, non obſtantibus quibuſcunque appellationibus interjectis etiam ad ſupremam Sedem, aut quibuslibet privilegiis. Clem. de ſent. excom. c. 1. Similiter etiam Domini temporales cogentes aliquos in locis interdictis celebrare Divina, aut qui per præcones faciunt ad illa audienda populum evocari, aut qui prohibent, ne publice excommunicati vel interdicti per eos, qui Miſſas celebrant, moniti Eccleſiis exeant, & ipſi qui interpellati ut excedant excommunicati atque interdicti, perſiſtere inibi præſumentes, hi omnes non poſſunt a cenſuris, quas incurrunt, niſi per Apoſtolicam Sedem relaxari. Eadem Clem. c. 2.

19. Sollicitudinem pariter geſſit ſacra Viennenſis Synodus, ne Epiſcopi aliive Prælati proſilirent in injurias & gravamina, ſive exemptorum, ſive ſubditorum, qualia multa dinumerat diſtricteque vetat Clementina de exceſſibus prælat. Vide pariter in Decretalibus ſub eod. titul. c. nimis iniqua: &c. nimis prava, de exceſſ. Prælat.

20. Providit inſuper Viennenſe Concilium circa Regularium effuſiora privilegia. Synodus Chalcedonenſis inter quatuor primas œcumenicas inſignis ſub Magno Leone Pontifice conſtituerat can. 9. debere Monachos locorum ſubjacere, eiſque obedire: ſed temporum progreſſu, maximeque poſt Mendicantium Ordinum exortum, multa eis conceſſa fuerunt, eaque ſubinde poſtea reſciſſa aut attemperata privilegia. Conſtituerat Bonifacius octavus, c. ſuper cathedram, de ſepult. in extrav. commun. non poſſe exemptos atque Mendicantes regulares prædicare, aut externorum confeſſiones ullatenus audire, citra Ordinariorum licentiam, in quorum Diœceſibus verſantur. Nonnulla etiam circa externorum ſepulturas, quæ fiunt intra Regularium Eccleſias ordinaverat in gratiam Eccleſiarum Parochialium: Sed Bonifacii proximus ſucceſſor Benedictus XI. ex Ordine ſancti Dominici aſſumptus, prædeceſſoris Decretum abrogavit, c. inter cunctas, in extrav. com. de privileg. Veruntamen non diu prævaluit hæc abrogatio, mox enim iſtud generale Vienenſe Concilium, præſidente immediato Benedicti ſucceſſore Clement. V. hanc revocationem antiquavit, ſanctionemque Bonifacii in priſtinam reſtituit auctoritatem. Clement. dudum, de ſepult. & Clement. 1. de privil. & privilegiat. exceſ. Vienenſi huic ſanctioni conformari voluit Tridentinum Concilium ſeſſ. 25. cap. 15. de reform. & ſeſſ. 25. cap. 4. atque his poſteriora decreta Gregorii XIII. anni 1567. Gregorii XV. in Bulla, *Romanus Pontifex in ſpecula*, ann. 1622. & ejuſdem *Bulla, Inſcrutabili*. His ſimiles edidere ſanctiones Urban. VIII. & Innocentius V. in Bullis annorum 1631. & 1648. in cauſſa Palafoxii Epiſcopi Angelopolitani, & Regularium Societatis JESU. Deinde Alexander VII. in ſimili cauſſa Epiſcopi Andegavenſis & Societatis præfatæ, aliorumque Regularium, die 26. Februarii 1659. poſtmodum Clemens V. in Bulla incipiente: *ſuperna magni Patris familias præordinatione*, anni 1670. Huc etiam ſpectat Concordatum mediatore Armando Richelio Cardinali tranſactum inter Epiſcopos Francici Regni, & quorumvis Ordinum Regulares, Lutetiæ Pariſiorum die Februarii 19. ann. 1633. quod ad amuſſim conformatur præfatis Conciliorum & Pontificum ſanctionibus, & inſertum legitur in tabulariis actuum Cleri Gallicani.

21. Hac eadem Synodo Viennenſi expoliata & dilucidata fuit S. Franciſci regula, multæque deſinitæ dilutæque difficultates, quæ leguntur Clem. de verbor. ſignif. c. Exivi. de Paradiſo.

CONCILIUM AVENIONENSE

Anni 1326.

1. ANtequam fuiſſet Avenio Cavarum in Metropolim Eccleſiaſticam erecta, Arelatenſis Metropolis erat Suffraganea: quo quidem tempore initum apud eam Concilium fuit trium Provinciarum Arelatenſis, & Ebrodunenſis, & Aquenſis, quo eodem cum ſuffraganeis Præſulibus convenerunt Gasbertus Arelatenſis, Jacobus Aquenſis, Bertrandus Ebrodunenſis Archiepiſcopi in Monaſterio Sancti Rufi, anno a Chriſto, 1326. multaque ſcita Eccleſiarum regimini conducibilia ediderunt, quibus quaſi ſepimentis fidelium pietatem & Eccleſiaſticam diſciplinam circumvallarunt.

Can. II. *Si propter Chriſtum reverentia impendi præcipitur, dignum eſt ſacrum ejus Corpus cum veneratione præcipua, quod utique pro nobis in illius paſſionis memoriam conſecratur. Statuimus igitur & jubemus, quatenus ſinguli Rectores, Priores & Vicarii noſtrarum Eccleſiarum, Provinciarum, Civitatum & Diœceſum, Parochianos ſuos ſalutaribus monitis inducere ſtudeant, ut ſanctiſſimum Corpus Dominicum, dum Presbyter ipſum portat in Viaticum miniſtrandum ægrotis, reverenter aſſocient, & luminarium adhibitione decenter honorent. Illi qui aſſociabunt de die vel de nocte ſine luminaribus, decem dies: qui vero cum luminaribus, vel etiam luminaria mittent per alium de die, viginti dies, de nocte triginta dierum indulgentiam ex conceſſione noſtra, dum tamen vere pœnitentes & contriti fuerint, habituri.*

Can. XVI. *Item ſtatuimus, quod excommunicati in Judices, Rectores, Ballivos, Poteſtates, Aſſeſſores, vel Notarios, vel ulla quævis publica Officia nullatenus aſſumantur, nec etiam admittantur: & ſi de facto admiſſi fuerint, ſententiæ per eos vel eorum auctoritate in judicio vel extra habitæ, & monimenta coram eis vel per eos facta, nulla ſint ipſo jure. Et nihilominus quod eligentes vel cujuſcunque dignitatis, ſtatus aut conditionis exiſtant, ſi tales excommunicatos ad aliquod Officiorum prædictorum ſcienter aſſumpſerint, vel aſſumptos per alios approbaverint vel confirmaverint, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto. Et ſi requiſiti per Ordinarium vel alium ejus nomine hujuſmodi excommunicatos infra decem dies a tempore requiſitionis a prædictis officiis ſic aſſumptis non amoverint cum effectu; loca illa, in quibus ad aliquod prædictorum Officiorum aſſumpti fuerint, ſic & tamdiu remaneant Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto;*

donec

donec ſic excommunicati a ſuſceptis Officiis realiter & ſine fraude & ſine aliqua reſtitutionis ſpe, quamdiu in excommunicatione perſtiterint, ſint amoti: Univerſitas ac Civitas, Caſtra vel Villæ ſeu loca, qua excommunicatos & in Eccleſia publice denunciatos ad aliquod prædictorum officiorum aſſumpſerint vel elegerint, ubi eis alias hoc liceret, Eccleſiaſtico etiam ſint ſuppoſita interdicto.

Concilium pariter Vaurenſe ann. 1368. can. 37. *Caveatur, ne excommunicati ad officia publica admittantur.*

2. Can. XVII. *Item ſtatuimus, & ſub pœna excommunicationis diſtrictius inhibemus, ne quis Apothecariorum, vel quis alius, cujuſcunque conditionis vel ſexus exiſtat, toxicum vendat, nec donet, nec alio modo miniſtret alicui, vel alia venenoſa, niſi prius ſignificet curiæ Ordinarii, ut ſciri poſſit ſuis temporibus, ſi caſus toxicationis contingeret, quis fuerit emptor illius vel alius quicunque: quodque Apothecarius quilibet ad hoc obſervandum juramento coram ſuo ſuperiore corporaliter præſtito pro ſe & ſua familia ſpecialiter aſtringatur. Aliter autem dantes aut vendentes, & ad homicidium perpetrandum recipientes quomodolibet, vel ementes, & ad hoc conſilium vel aſſenſum tacite vel expreſſe præſtantes, excommunicationis vinculo ſubjaceant ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutionis beneficio remittendi, & alias, ſicut fuerit juſtum, puniendi.* Eamdem proſequitur materiam qui ſtatim ſequitur can. 20. his verbis: *Item quod quicunque alium toxicare aut opem ad hoc vel conſilium dare vel in necem alterius toxicum dictare ſeu vendere vel aliter miniſtrare præſumpſerit, vel herbas mortiferas in mortem vel abortivum cujuſquam dederit; eo ipſo excommunicationem incurrat, a qua non niſi per Sedem Apoſtolicam abſolvatur. Et ſi Clericus beneficiatus ſit, illo ſit privatus beneficio ipſo facto, & ab ordine quem ſuſceperat, degradetur, tradendus curiæ ſæculari. Sed & talis vel ſimilis ſuſpicione probabili infamatus, & ex veriſimilibus præſumptionibus & perſpicuis indiciis apud bonos & graves notatus, ad honorem & dignitatem Eccleſiaſticam nullatenus admittatur. Et nihilominus ad detentionem perſonæ honeſtam, prout requiret perſonæ ſtatus, & ſceleris immanitas ſuadebit, ad inveniendam veritatis certitudinem, ſicut Superioris diſcretioni viſum fuerit, procedatur.*

Similiter Concilium Vaurenſe ann. 1368. can. 116. hæc ſancivit: *Ut quicunque alium toxicare, vel opem ad hoc vel conſilium dare, vel in necem alterius toxicum dictare ſeu vendere, aut alias miniſtrare præſumpſerit, vel herbas mortiferas in mortem vel abortivum cujuſquam dederit, eo ipſo excommunicationem incurrat. Et ſi Clericus beneficiatus fuerit, ſit ille privatus beneficio ipſo facto, & ab Ordine quem ſuſceperat, degradetur. Et niſi purgatus de præmiſſis ſit a tali vel ſimili ſuſpicione probabiliter infamatus, & ex veriſimilibus præſumptionibus & perſpicuis indiciis apud bonos & graves notatus, ad honorem & dignitatem Eccleſiaſticam nullatenus admittatur. Et nihilominus ad detentionem perſonæ honeſtam, prout requiret perſonæ ſtatus & ſceleris immanitas ſuadebit, ad inveniendam veritatis certitudinem, ſicut Superioris diſcretioni viſum fuerit, procedatur.* Denique Concilium Friſigenſe anni 1440. can. 24. ſub pœna excommunicationis inhibet quibuſcunque Sacerdotibus tam ſæcularibus quam regularibus ſine ſpeciali mandato abſolvere propinantem, ementem, aut vendentem venenum, præſertim in machinationem mortis hominis.

3. Can. XIX. *Item dolenter referimus, quod nonnulli Religioſi Hoſpitalarii Ciſtercienſes, & alii tam exempti quam privilegiati, de privilegiorum ſibi forte aut Ordini ſuo indultorum prærogativa temere confidentes, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententias ab Ordinariis & Officialibus ipſorum rationabiliter promulgatas obſervare non curant: quinimmo in contemptum Clavium excommunicatos, ſuſpenſos & interdictos hujuſmodi ad divina recipiunt:* & nonnullis aliis exceſſibus commemoratis deinde ſubjungit: *Illi qui hujuſmodi præſumpſerint, aut ad hoc operam, conſilium vel juvamen præbuerint, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto. Sed & cum ipſis Prælatis non deferant, ſed potius vilipendant eoſdem, Prælati etiam quamdiu ſic ſteterint, & auſu temerario eis vel Officialibus eorum in præmiſſis reſtituerint, in privilegiis vel aliis juribus ſuis tueri eos vel defendere minime teneantur. Dignum eſt enim, ut qua menſura menſi fuerint, eadem remetiatur & eis; ut ignorantes ignorari, & contemptores ſentiant ſe contemni.*

Concilium Nicænum primum can. 5. providet, ne ab aliis quibuſcunque Epiſcopis aliiſque recipiantur, qui a proprio Epiſcopo fuerint a communione fidelium ejecti, & habetur in Decreto, c. ſervetur iſta ſententia, 11. qu. 2. Vide ſimiles alios canones, quos ſuperius in eumdem Nicænum can. 5. congeſſimus. Præterea regulares privilegiati tenentur obligatione ſervandi generalis interdicti, atque excommunicatas & interdictas perſonas a ſuis Eccleſiis eliminare, c. quod in te, de pœnit. & remiſſ. & Clement. 1. de ſent. excomm. ex Concilio Viennenſi.

Can. XX. *Item ne relictæ in teſtamentis vel aliis ultimis voluntatibus emendæ, vel ad pias cauſſas eleemoſynæ: vel reſtitutiones certæ vel incertæ forſitan occultentur, ſtatuimus, ut vel Presbyter Parochialis intereſſe rogetur ordinationi teſtantis, ſi tamen haberi poterit; aut quod Notarius infra octo dies a die obitus numerandos Prælato, vel Officiali, vel Presbytero Parochiali copiam illius articuli, ubi quævis eleemoſyna piis eſt uſibus deputanda, vel emenda, ſeu reſtitutio facienda, ſub pœna excommunicationis, quam ipſo facto ſi negaret, incurret, facere fideliter teneatur.*

Multa require hanc in rem ad finem Concilii Colonienſis anni 1300. quod ſupra inſerui.

Can. XXVIII. *Item quod Prioratus ſeu beneficii alterius Eccleſiaſtici facta cum novi cenſus impoſitione, vel antiquæ penſionis augmentatione, collatio non valeat ipſo jure, & per proximum Superiorem illa vice perſonæ idoneæ ſine dicti oneris vitio conferatur, ac ſi ad eum per negligentiam fuiſſet alias collatio dicti beneficii devoluta.*

Huc ſpectat rubrica Decretalium, ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.

4. Can. XXIX. *Item ſtatuimus, quod in ſingulis Eccleſiis per Monachos ſolitis gubernari, infra ſex menſes Priores earum ſub Diœceſanis ad curam animarum perpetuos Presbyteros repræſentent. Quod niſi fecerint, ex tunc hac vice Epiſcopi inſtituant perpetuos Presbyteros in cura prædicta, & ipſos Priores compellant ad providendum eiſdem Presbyteris, prout idem inſtituens duxerit ordinandum.*

Hanc in rem notatu digna eſt Urbani Papæ III. conſtitutio: *In Eccleſiis ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur, ſed Capellanus qui populum regat, ab Epiſcopo per conſilium Monachorum inſtituatur: ita ut ex ſolius Epiſcopi arbitrio tam ordinatio ejus quam depoſitio, & totius vitæ pendeat converſatio*, cap. 1. de Capellis Monach.

Can. XXX. *Item ſtatuimus, quod nullus in antiquo beneficio Eccleſiaſtico ſolum jus obtinens Patronatus, cum ipſum vacare contigerit, ad ipſum conferendum procedat. Quod ſi ſecus egerit, in illa vacatione jus præſentandi amittat ipſo facto: & Superior, ad quem inſtitutio pertinet, plenam ejus diſpoſitionem habeat illa vice.*

Can. LVIII. *Item ſtatuimus, quod Priores Eccleſiarum, & Hoſpitalium pauperum, & omnes alii Eccleſiaſtica beneficia obtinentes faciant inventarium cum publico inſtrumento, vel cartulario, quod penes Eccleſiam debebit remanere, de omnibus immobilibus & mobilibus bonis (ſcilicet inſtrumentis, privilegiis, vaſis æneis & ferreis, atque vinariis) in principio ſui regiminis infra ſex menſes. Et idem faciant inſtitui poſt primam Synodum infra ſex menſes. Et qui prædicta non fecerint, in decima fructuum dicti beneficii puniantur operi vel ornamentis aut propria Eccleſiæ utilitati per Ordinarium applicanda.*

Concilium Toletanum nonum can. 4. præcipit fieri ab Eccleſiarum Rectoribus rerum ad eas pertinentium inventaria, 12. q. 4. c. 1. Similia inventaria de bonis defuncti Epiſcopi fieri jubet S. Gregorius Magnus cap. caritatem, 12. q. 2. Itemque Concilium Tarraconenſe, c. ſicubi, 12. q. 5. Apoſtolorum canon 39. jubet diſcerni res Eccleſiæ a rebus Epiſcopi, ne unum horum indebite uſurpetur, aut diſtrahatur alterius vice: ad hæc vero diſcernenda, neceſſarium eſt inventarium utrarumque rerum confici.

6. Anno poſtmodum 1337. præfatarum trium Provinciarum Antiſtites Avenionem iterum convenerunt, Gaſbertus Arelatenſis, Bertrandus Ebrodunenſis, qui priori Concilio interfuerunt, & Armandus Aquenſis, qui poſt anterius Concilium Jacobo Archiepiſcopo ſucceſſerat. Iſti cum Comprovincialibus Epiſcopis in Monaſterio S. Rufi, Ordinis S. Auguſtini, alteram habuere Synodum, in qua, paucis quibuſdam additis, Canones, quos priore conventu ediderant, renovarunt, novaque confirmatione inſtauravere.